



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 100. Cardinalis de Monte mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Camerarius electus, & in Pannoniam ad bellum contra Turcas ab eodem Paulo III. missus fuit, ubi excitatam apud omnes prudentiæ opinionem felici eventu superabat: sub Julio III. autem Parmam ad Octavium Farnesium mittebatur, ut pro rebus Parmensibus, antequam Pontifex bellum susciperet, pacis consilium caperet: insuper sub Pio IV. Hispaniæ Protector, pacisque inter Philippum II. Regem, & ipsum Pontificem conciliator extitit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1564.

Tandem Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo quarto die septima Octobris nonnisi quadraginta quinque annos natus, cum Parmensis Diæcesis suæ Ecclesias lustraret, vivis ereptus est: porro corpus ejus Romam deferebatur, atque in Basilica S. Mariæ Majoris, cujus Archipresbyter erat, terræ mandabatur, ubi etiam ejus sepulcralis inscriptio visitur.

§. C.

Cardinalis de Monte mortuus.

Tertius erat Christophorus de Monte Aretii in Etruria natus, de quo referunt nonnulli, quod ejus Familia nomen suum traxerit a quodam oppido, Monte-Sanvino dicto, atque in Diæcesi Aretina sito, ubi etiam Joannes Maria de Monte a Paulo III. Cardinalis creatus,

Ciac. p. 768.
Pet. Just.

Y 3

tus,

Sæcul. XVI.
A. C. 1564.

tus, ac postea Pontifex sub nomine Julii III. electus primam lucem aspexit, a quo etiam Pontifice in Montanam Familiam adoptati fuere ejus Consobrini, qui Materteræ suæ Margaritæ de Monte Francisco Guidalotto nuptæ filii erant, quos inter primus numerabatur Christophorus, de quo in præsentiarum agimus. Hic a Julio III. Patriarcha Alexandrinus, ac demum Anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo primo Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Praxedis renunciatus est, a Pio IV. autem Pontifice, qui Christophoro minus favebat, variis in occasionibus vexabatur, cuncta tamen æquo animo tolerabat usque ad obitus sui diem, quæ erat vigesima quarta Septembris Anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo sexagesimo quarto; obiit enim in oppido sancti Angeli in Vado prope Urbinum anno ætatis suæ ferme octogesimo, ac Cadaver illius ibidem ante Altaris Majoris gradus in eadem Ecclesia, cujus erat Archipresbyter, reconditum est. Rexit is Caliensem Sedem per triginta septem annos, interfuitque Sacris comitiis, in quibus Marcellus II. Paulus IV. & Pius IV. Romani Pontifices renunciati sunt.